Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26458
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lisei. reuixit homo et stetit sup pedes
SVOS.
QVONIAM OMNIA QVE
scripta s ad nostram doctrinam scrip
ta s. dignum et iustum est. ut que
secundum littere seriem persecuti sumus. quid spi
aliter significare ualeat uideamus. He
liseus qui interpretatur dei mei salus. mediatorem
dei et hominum xpm iesum significat. qui
pro nobis natus. quasi egrotabat. quia in diebus
carnis sue pro nobis redimendis multum labo
rauit. multas propter nimiam quam erga nos
habuit dilectionem pati preter peccata uo
luit miserias. ad ultimum carnem suam que
passionibus. opprobriis. iniuriis. flagellis.
sputis. colaphis. exposuit. cruci pro nobis
moriendo optulit. adque eum uidendum. et
imitandum in his que pro nobis passus est. ioas
rex israel descendere debet. quemadmodum legimus.
quia egrotante heliseo descenderit ad eum et
fleuerit coram eo. dixitque. Pater mi pater
mi. currus israhel et auriga eius. Ioas in
terpretatur sperans. per quem homo ille desig
natur. qui non in incerto diuitiarum huius mun
di. spem suam ponere. sed totius spei confidentiam.
in redemptoris sui constituere et collocare
mentem disposuit. Qui homo rex et rector